

lib. V. hist. intellecto canone Apostolico, quo pertinet Apologia Bi-  
c. I.  
bbliade apud Eusebium. Adeamus sigillatim vero, secundum  
ordinem ætatis Ecclesiæ Christianæ, quæ opponuntur. Se-  
culo I. A. C. 57. Synodus Antiochena peculiari canone roborat  
præceptum Apostolorum. Sit ita. Quid tum? Antioche-  
na Ecclesia ipsa erat, cuius gratia Hierosolymitanum coi-  
verat Concilium; illa ipsa, quæ alebat in sinu suo imbecil-  
les fide Judæos, ergo par erat maximopere hactenus consi-  
lium Apostolicum ibi & observari & inculcari. Nil inde  
pro abstinentia sangvinis morali & perpetua. Seculo II.  
Justinus opponitur, in explicatione Questionum a Gentibus  
propositarum, & in Apologia I. pro Christianis. Sed prior  
liber, ut habet exploratio eruditorum, alium auctorem ha-  
bet, & forsitan abstemium, viventemque in Ecclesia particu-  
lari, hactenus secundum consilium Apostolicum vicitan-  
te. Posterior abominatur mensas gentium cruore idolo-  
latrico repletas & merito exosas Christianis, quas in epistola  
ad Diognetum cum Christianorum mensis comparando  
communes pollutasque Justinus judicat, Judæorumque me-  
ticulosam circa cibos cautionem taxando oppido abstinentiam  
sangvinis diserte docuisse vix deprehendetur. Verba ejus  
hæc sunt: Τόγε περὶ τὰς βρεώτεις αὐτῶν ψοφοδεῖς, καὶ τὴν περὶ τὰ  
σάββατα δεισδαιμονίαν &c. καταγέλασα καὶ ὀδεύθη ἀξιαλόγου &c.  
Et quid faceret privati Doctoris dissensus, forsitan non recte  
perceptus, contra melius intellecta Apostolorum verba?  
Eleuthericus Episcopus Romanus meretur sententiæ pro ab-  
stinentia sangvinis hoc Seculo alicubi militanti opponi, e  
Synodo decernens, nullum cibum Christiano abominabilem sta-  
tuendum. Martyr quidam Alcibiades ab Eusebio narratur in  
carcere tantum sale & pane cum aqua usus; qui cum argue-  
retur, quod creaturis DEI non uteretur, & aliis formam  
scandali derelinqueret, deinde omnia fertur cum gratiarum  
actione percepisse. Nil hic adeo pro vetito sangvine, ut  
omnia e contrario sint explicanda, aut saltem docendum e  
consuetudine hujus Seculi, sub titulo ciborum generali san-  
gvinem non contineri. Seculo III. Minutius Felix, Tertul-  
lianus,

lib. V. hist.  
c. 3.